

Cinnabaris exul redux in pharmacopolium : cum auctore se publico examini sistens dissertatione inaugurali ... / respondente Christ. Theophil. Reuss.

Contributors

Reuss, Christian Gottlieb, 1742-1815.
Oetinger, Ferdinand Christoph, 1717-1772.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Christ. Godofredi Cottae, [1760]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j9hxxtsx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

CINNABARIS EXUL

REDUX IN PHARMACOPOLIUM

CUM AUCTORE SE PUBLICO EXAMINI SISTENS
DISSERTATIONE INAUGURALI

QUA

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D O M I N O

JOH. CAROLO LUDOVICO

COMITE PALATINO RHENI

BAVARIAE DUCE rel. rel.

ANNUENTE

GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

MUNUS

PROFESSORIS MEDICINAE EXTRAORDINARII

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATUM

IN ALMA EBERHARDINA

LEGITIME AUSPICABITUR

FERD. CHRISTOPH. OETINGER

MEDICINAE DOCTOR

COENOBII DUCALIS TUBINGENSIS & SEMINARII
BEBENHUSANI MEDICUS, CIVITATIS & PRO-
VINCIAE UTRIVSQUE PHYSICUS
ORDINARIUS,

RESPONDENTE

CHRIST. THEOPHIL. REUSS, *Sulzensi.*

MED. CANDID.

Ad Diem XV. Augusti MDCCLX.

TUBINGÆ, LITERIS CHRIST. GODOFREDI COTTÆ.

Dono Lector M. H.

A Cane non magno saepe tenetur Aper!



§. I.

Cinnabaris, Mercurii modo matrix modo soboles, productum scilicet modo naturæ modo artis, quingentos ante Christum natum, ideoque trecentos ante HIPPOCRATEM annos, a Callia atheniensi secundum SCHULZIUM, vel ab arabe Bulcasis dicto, si PICO MIRANDOLÆ credendum, inventum, antiquissimis itaque temporibus jam cognitum, nulli usui nisi œconomico-mechanico destinatum, cœpit a medicis, jam ante tempora FRACASTORII & PARACELSI, primo externe in suffimigiis corporibus lue venerea infectis applicari, interno usui suspectum & pro tam vehementi veneno habitum

A

tempo-



tempore FERNELII, ut medici illius seculi morbum pictoris cujusdam, penicilla improvide lambentis, & postea Contractura laborantis, unice deduxerint ex de glutita cinnabari.

§. II.

Tandem vero a IOH. CRATONE medio seculi decimi sexti Cinnabaris nativa Magnes Epilepsiæ vocata est. Eo ipso tamen tempore usum Cinnabaris internum, aliis adhuc dubium, aliis suspectum, aliis arcanum, nec Cinnabarim inter officinalia receptam fuisse, scripta auctorum ejus seculi, evolventes facile intelligimus.

§. III.

Sic enim I. IAC. WECKERUS & CROLLIUS usum Cinnabaris internum plane reticent, LIBAVIUS & QUERCETANUS jam artificialem commendaverunt: PLATERUS nullibi mentionem de ea neque nativa neque artificiali fecit: FORESTUS inter venena locavit: ANWALDUS panaceam ex ea præparavit:

§. IV.

SENNERTUS Libr. de Morbis occultis, quem ediderat 1654, ideoque centum annos post CRATONEM ad Fernelii relationem & auctoritatem provocans scripsit:



psit : *Symptomata Cinnabarim artificialem sumtam consequentia sunt similia symptomatibus Argentum vivum mortificatum vel sublimatum consequentibus.* In institutionibus medicis autem quas 1667 publici juris fecerat pag. 1440 Cinnabaris antimonii & nativæ virtutem antepilepticam aliis celebratam narravit, quam decem annos ante ignorasse videtur.

§. V.

LAZARVS RIVERIUS æque ac IOH. HARTMANNVS, Sennerti coætanei Cinnabarim nativam & antimonii ut antepilepticam, diaphoreticam & specificam in Vertigine laudaverunt.

§. VI.

De ejusdem temporis felicissimo practico, IOH. MICHAELE ne dicam, cujus specificum cephalicum in hunc usque diem, jure & innumerorum ægrorum certissimo emolumento, locum sibi vindicavit in pharmacopoliis, quidquid etiam objiciant sibi solis sapientes.

§. VII.

MICHAELIS quidem primus fuisse videtur medicorum, qui Cinnabarim non soli Epilepsiæ opposuerit, sed etiam capitis morbos ea oppugnaverit quam plurimos; Sed locus HARTMANNI in Praxi Chy-



miatrica, ubi pag. 154. contra Vertiginem commendat Cinnabarim, & simul compositionem pulveris cinnabarini contra Vertiginem in QUERCETANI libro de affectibus capitis descriptam esse testatur, dubium potest movere, an MICHAELIS primus fuerit, qui præter antepilepticam Cinnabari etiam cephalicam assignaverit virtutem. Sed ut verum fatear, librum QUERCETANI de affectibus capitis non possideo, nec mihi verosimile videtur, QUERCETANUM jam polychrestum usum Cinnabaris scivisse, cum apud nullum autorem usque ad MICHAELIS tempora unquam aliam virtutem legerim annotatam quam antepilepticam, diaphoreticam & specificam ad Vertiginem.

§. VIII.

MICHAELIS denique experientiam, sagacissimus Observator IOH. IAC. WEPFERUS, usum scilicet Cinnabaris in Cephalæa expertus, in Observationibus suis pag. 121. corroboravit, simulque eodem libro pag. 582. bene monuit, cinnabarina non ab omnibus epilepticis tolerari.

§. IX.

Interim nec eo tempore defuerunt autores, sique celebres fatis, quos internum usum Cinnabaris vel reprobasse vel ignorasse exinde judico, quod in eorum operibus practicis nullibi occurrat Cinnabaris præscriptio.



tio. Sic neque SYLVIVS neque SYDENHAMIVS
Cinnabari, quod sciam, unquam sunt usi.

§. X.

Sequitur ex ordine temporis DANIEL LUDOVICUS, suo tempore usum Cinnabaris increbescere Oper. omn. pag. 235. ipse narrans. Cinnabaris vires credit non quidem directe & per se diaphoreticas, sed potius polychrestas exaltatorias, præsens multorum concurrentium Symptomatum deleterium nominans Cinnabarim. Ibidem pag. 231. eandem in Epilepsia ut satis certum specificum, in Doloribus hysteris colicisque Opio efficacius remedium, Vertiginem, Arthritidem vagam, Dolores nervosarum partium, imo dentium, evidenter leniens & tollens, in Deliriis, Morbillis & Petechiis utile deprædicavit; jam eo tempore experientia fretus responsum dedit scepticis, quod verbotenus transcribere placet: „*Ut enim vix in stomacho (vel pusionum observatione) resolvitur, sed incomprehensibili fere nec dum determinato contactu, desubito sæpe (cum consimilibus aliis) quod suum est agit.* pag. 235.

§. XI.

ERNESTVS ETTMULLERVS, in LUDOVICVM commentator, polychrestum plane usum Cinnabari antimonii adscripsit, vim illam antepilepticam extendens



tendens ad omnes Morbos spasmodicos, colicos, nephriticos: In his nempe non par sibi habere remedium affirmat; ad metallicolarum aurifabrorum &c. Morbos, e fumis metallicis ortos, optimum esse remedium perhibet; laudat porro in malignis & ipsa peste per experientiam POTERII, in Variolis, in Terrore gravidarum, catarrhosis senum Affectibus, Erysipelate capitis, Scabie maligna, Arthridite vaga, hysterica Passione, Cinnabarim: Boyleanum vinum cinnabarinum denique in casibus chirurgicis contumacioribus extollit. Easdem plane vires etiam artificiali & nativæ adscribit.

§. XII.

CHRISTIANUS LANGIUS primus fuit, qui Cinnabaris virtutem in Partu difficili egregiam observavit, & experimentis & rationibus latius probavit, specificum cephalicum *Michaelis* mire secundare partum.

§. XIII.

WEDELIUS non solum autoritate & sententiis medicorum sui seculi edoctus fuit, sed eorum relata sua quoque experientia suisque observationibus confirmavit, omniumque ardentissimus Cinnabaris prædicator fuit. Ita Amoenitatum Materiæ medicæ p. 266. appellavit Cinnabarim remedium probatissimum: *verum est, inquit*



quit p. 153. „ cinnabarina esse nervina & laudatissima
„ medicamenta. Porro pag. 438. Cinnabaris specificum
„ est cephalicum, anodynum, ubicunque humores salini
„ irritantes et vellicantes negotium faceffunt, et tantum
„ non spasmodicos motus his illis partibus inferunt. Vi-
„ dimus hujus rei effectus aliquot insignes. Laborabat
„ infans Torminibus clamosis, iisque insignibus, a datis
„ granis tribus Cinnabaris nativæ, puræ, solis, statim
„ in somnum incidebat blandissimum. Tacemus alios casus
„ hinc inde annotatos. Sic pag. 172. refert fœmi-
nam Dolore dextri hypochondrii cum Serpiginibus prurigi-
nosus & admodum molestis conflictatam, frustra adhi-
bitis aliis, solis cinnabarinis perfecte curatam. Ne au-
tem WEDELIUM ex cœco præjudicio vires Cinnabaris
callaudasse credatis, adducenda etiam sunt, quæ de
operationibus nocivis observavit sedulo, & quæ de
inerti medicamento nunquam expectanda essent. Ha-
bent cinnabarina, inquit amœnit. Mat. Med. pag. 153
id vitii, ut in efferationibus sanguinis minus istis fidi
possit, siquidem sudores colliquativos adaugent imo accer-
sunt sæpe nimia fusione: et pag. 281. Sic purgat quan-
doque Cinnabaris nativa, non minus ac salivationem
etiam citat aliquando.

§. XIV.

Omnia quæ habet WEDELIUS affirmantur quo-
que a BONETO de cinnabarinis, ita, ut cum WEDE-



LII verbis loqui videatur. *TILINGII Scrutinium Cinnabaris mineralis*, & *CLAUDERI Inventum cinnabarinum*, libros ejus temporis, a VALENTINO citatos, non potui acquirere; interim scripta hæc pro argumento adducere non dubito, quod circa illud tempus, annum scilicet 1679. Cinnabaris usus internus maxime viguerit, cum panaceas inde præparare conati sint. CLAUDERI enim inventum, fuit circulum e Cinnabari, mire ab auctore deprædicatum. Imo, quod eo tempore de virtute Cinnabaris indubii, de modi operandi explicatione tantum solliciti fuerint, exinde concludo, quod KOENIGIVS, CLAUDERI amicus, ex ejus scripto & literis referat, CLAUDERVM operationem Cinnabaris cum magnetismo comparasse, quia effectus citior sit, quam virtus per sanguinis circulum locum affectum tangere valeat.

§. XV.

Tempore LENTILII vixit Ulmæ medicus practicus celeberrimus, cujus consilium pro Epileptico miscellaneis practicis, celato nomine, inseruit LENTILIVS. In hoc consilio laudatus medicus ulmensis serio asseverat, se beneficio Cinnabaris, in quibusdam adultis, Epilepsiam radicitus extirpasse, qui eo tempore adhuc dum immunes ab illa vixerint.

§. XVI.



§. XVI.

In eandem temporis periodum incidit **VITUS RIEDLINVS** ulmenfis, obfervator curiosiffimus & diligentiffimus, qui in *Lin. Med. Ann.* 1. Decembr. obs. 10. pag. 428. nobis refert, quod egregii hujus antifpafmodici fuo tempore largiffimus fuerit ufus & confumtio; & præterquam quod virium antifpafmodicarum & antepilepticarum veritatem affirmet, id fpecialiffimum notavit, Cinnabarim in Dolore dentium gravidis femper auxilio fuiffe, abftuliffe fcilicet vel in totum vel certiffime haud parum leniiffe; pag. 277. anthelminticam cinnabarina exferere vim, & quandoque etiam in parca dofi movere falivam.

§. XVII.

Ad illos, qui cinnabarinis egregiam tribuunt virtutem antepilepticam nervinam, pertinet quoque **VALENTIN. DOLÆVS** Cinnabarim in Asthmate, Cardialgia, Tertiana, Convulfione, Lue venerea, Colica, Epilepfia, Apoplexia, Torminibus infantum, maxime commendavit, femper ad experientiam provocans. Sic poffideo quoque collegium practicum manufcriptum ab **ELIA CAMERARIO** dictatum, in quo Cinnabaris in Febribus continuis, in Apoplexia, Spafmo, Vertigine, Cephalalgia, Singultu, Malo hifterico, Ar-



thritide , Scorbuto , Rhachitide ab illo præscribitur. Ipse MEADIVS qui nulla vult medicamina, nisi efficacia, certa, Cinnabarim in Asthmate c. cortice miscet & egregiæ virtutis medicamentum esse testatur.

§. XVIII.

FRID. HOFFMANNUS 21. ætatis suæ anno jam conscripsit dissertationem de Cinnabari, in qua illam, quoad vires, ut panaceam quasi extollit. Scripsit tunc temporis quæ audivit a præceptore WEDELIO, provo-
voco autem potius ad ipsius Opera, post longum exercitium practicum enata, in quibus pag. 450 System. Tom. III. virtutem antepilepticam præsentaneam & admirabilem effectum Cinnabaris sæpius se expertum esse testatur. Imo centies in Systematis sui capitibus practicis cinnabarina eorumque effectus deprædicat. De STAHLII sententia pro viribus Cinnabaris non habemus, quod dubitemus, nec opus est provocare ad scripta; plurima enim medicamenta STAHLIO usitata ingreditur Cinnabaris. Patronum itaque Cinnabaris hunc Virum fuisse palam est, Virum quem nihil ex vana superstitione assumpsisse, Virum quem semper perspicacissimum observatorem fuisse, scimus.

§. XIX.

Huc usque nemini amplius in mentem venit dubitare de viribus Cinnabaris: Primus est celebris medicus



cus practicus & chemicus, Illustris BOERHAVIUS, qui denegavit applausum Cinnabari. *Nunquam inde, inquit, adeo multos effectus vidi. Tom. II. Chemicæ p. 493. seq.* Argumentum contra vires Cinnabaris, defumit ab impossibilitate ingressus in vasa venosa, resorbentia, chyliifera vel lymphatica. Minime tamen hæc sententia STAHLIUM & HOFFMANNUM, experientia certos, dubios reddere potuit; imo Cinnabaris etiam post illos servavit adhuc patronos, LEMERY, JUNCKERUM, SCHVLZIVM, CARLIVM, plurimos.

§. XX.

Interim tamen indies cecidit a BOERHAVII tempore existimatio Cinnabaris, quotidie novas patitur contumelias, & noviter Illustris BÜCHNERVS eandem cum BOERHAVIO protulit sententiam. Si CARTHEUSERVM, si TRALLESIVM si HUNDERTMARCKIVM, si PFANNIVM audias iners est Cinnabaris. KLEINIUS ubi rationalem medicaminum instituit selectum, ita commentatur; *facit*
„ *ad colorandos pulveres, mixturas seu potiones, catapotia:*
„ *ad mechanicos æque scopos. Virtus in corpore nostro*
„ *minor est ac Aethiopsis mineralis: imo plane nulla. Hac*
„ *Cinnabari, (scil. artificiali) non superior est illa nativa*
et antimonii: hæc, at longe pretiosior ceteris. Idem declarat Excellentissimus Dominus Auctor *Botanices*



& Chemiæ ad praxin medicam applicatæ, PH. FRID. GME LIN, iisdem, cum aliis, argumentis militans.

§. XXI.

Hæc fuerunt usque huc fata Cinnabaris: habebatur olim pro veneno, quæ sensim, dubitantibus plurimis, an tuto corpus intrare possit? in Pharmacopolum irrepsit; sed ad panacæ dignitatis fastigium denique exaltata, nunc proscribitur e Pharmacopolio. Rident novaturientes & genio seculi indulgentes medici, (*Die Mode-Aerzte*) quam primum vel legunt in schedulis nomen Cinnabaris, vel vident medicamina cinnabarino colore rubentia. Plenis buccis clamitant: Iners est Cinnabaris! Inertia medicamina cinnabarina! Frustra expectatur de specifico michaelis virtus cephalica! Cum hæc ita contingant, non abs re esse credidi, si inquirendum mihi sumerem, quo fundamento nitantur argumenta, quibus Cinnabaris inertiam probare conantur acres illi rei pharmaceuticæ castigatores.

§. XXII.

Argumentum præcipuum in efficaciæ desumunt ab experientia. Respondeo: ad experientiam provocare non possunt qui tanquam contemtores Cinnabaris nunquam Cinnabari usi sunt in praxi sua. Cum enim,
chemi-



chemico oculo nimium fidentes, nil antepilepticarum vel sedativarum vel aliarum virium eruere potuerint, Cinnabarim præscribere nunquam operæ pretium ipsis visum fuit, & si forte aliquem pulverem antispasmodicum compositum præscripserint, quem secutus sit effectus, hunc non Cinnabari, sed aliis ingredientibus adjudicarunt. Porro ad experientiam certam pertinuisset, ut centies exhibuissent solam Cinnabarim, in sufficiente dosi, sat longum tempus continuando. Sed id non fecerunt, alias non opus habuissent ad subscriptionem magnorum virorum confugere, eaque repetere, quæ a magnis illis legislatoribus prolata, quidem sed non probata fuerunt. Veneror maximum inter medicos BOERHAVIUM, veneror æque celeberrimum BUCHNERUM, & vix dignum me puto, qui calcei alterutrius corrigia solvam. Sed quod tot tantorumque virorum experientiam irriferint, quod negare a priori non erubuerint, ea, quæ de Cinnabari a posteriori certissima sunt, ignoscere ipsis vix possum. Iure asserto illi in experientiam injurio, ad latus pono experientias aliorum superius jam citatorum maximorum virorum eorumque fidem. Sed neque aliorum indigeo autoritate; ipsa praxis loquitur, ipse convictus assevero, Cinnabarim ea mihi præstitisse pluries, quæ de illa olim narraverunt autores, non per fallaciam simul &



& per se evenientium effectuum; centies enim solam Cinnabarim adhibui, & summa discretione & ab omni præjudicio liber observavi lætas operationes. Centies consulto illud novaturientium scandalum, Specificum puto cephalicum, præscripsi solum, purum, optimo cum effectu. Objicis, prævideo: non semper! quod minime negaverim. Sed quæso! Vel unum narres peto remedium, quod semper & ubique præstet easdem vires.

§. XXIII.

Sed audiamus quoque specialissimum TRALLE-
SII Argumentum ab experientia propria desumptum, quo etiam PFANNIUS ad TRALLESII narrationem provocans militat. Hic, quod pace Excellentissimi Viri dicere cogor, Historiam a TRALLESIO mutuatam longe alio & contrario sensu narrare mihi videtur. TRALLESIUS virgini agnatæ, parotidis mucoso tumore laboranti, per integras quatuor hebdomades, singulis diebus scrupulos duos Cinnabaris in duas doses divisos præbuit; cum autem debili stomacho noxam inde imminere judicaret, & nullum successum obtinuisset, ordinavit saponacea fomenta, aliaque remedia, quibus tandem parotidem discussit; PFANNIUS vero longe diverso sensu historiam sic profert:



fert: TRALLES habe einer Frauens Person, vvelche Tu-
more parotidis mucoso laborirte, vier Wochen tæglich
nacheinander 2. Scrupel Cinnober ohne allen Success ver-
ordnet. Es seye vielmehr die Person tæglich davon
elender und ihr Magen auf das æusserste davon ge-
schwächt vworden, bis er sie endlich durch Fomenta
Saponacea und andere dienlichere Mittel, wieder zu-
recht gebracht: certissime hic historia quam maxime
exosis narrata legitur verbis. Cum enim TRALLES
dixisset, stomacho debili imminuisse saltem noxam
PFANNIVS locutus est, ac si quotidie pejûs se ha-
buisset, & stomachus plane debilitatus fuisset. Se-
cundo TRALLESIVS refert: discussionem parotidis se
præstitisse saponaceis fomentis & aliis remediis, quam
a Cinnabari amplius expectare noluerit; PFANNI-
VS vero, ac si TRALLESIVS fomentis saponaceis
& melioribus aliis remediis vires a Cinnabari de-
jectas restaurare, & damnum stomacho illatum resar-
cire coactus fuisset, locutus est. Cognoscimus in-
de mentem in Cinnabarim inimicam et præjudicatam.
Sed transeat. Quod attinet ipsam hanc experientiam,
illa Cinnabaris virtuti ne minimum quidem derogat.
Primo enim una hirundo non reduceret ver: nec
sequitur TRALLESIVS Cinnabari non potuit discutere



parotidem mucosam in illa femina, ergo Cinnabaris nullum tumorem glandularum discutiet : CAMERARIUS nec fumo nec unguento mercuriali, nec mercurio dulci potuit salivationem excitare, ergo Mercurius nunquam salivam movet? Multo minus sequitur: Cinnabaris parotidem non discussit, ergo non est antipileptica, antispasmodica, anodyna, &c. Secundo: Si concedamus, Cinnabaris largiorem usum plus stomacho nocuisse, quam ad discussionem parotidis profuisse, non Cinnabaris inertiam inde deducendam, sed medici respectu subjecti tenerioris inexcusabilem errorem adcurandum esse statuimus. Si certum est, dico, si certum est, quod nihil profuerit Cinnabaris usus, nulla alia subest causa quam quod priores doses, stomacho debili intolerabiles, digestionem ita turbaverint, ut ea semel labefactata, posteriores nullo modo digeri, concoqui & ne atomus quidem, de illis solvi potuerit. Quid inde itaque sequitur? Sequitur, quod Cinnabaris inepte & nullo habito respectu ad ventriculi ejusque digestionis tolerantiam praescripta, plus detrimenti quam utilitatis afferat: minime autem quod nihil agat, quia in hoc casu ad digestionis plenariam labefactionem, ideoque inepte adhibita, nihil egit. Tertio vero tantum



rum abest, ut credam, Cinnabarim in hoc narrato casu nihil fecisse, quin potius persuasus sim, fomenta saponacea reliquaque remedia eam ob causam profuisse, quia Cinnabaris internus præmissus continuatus usus parotidem obstructam ita jam disposuit & penetravit, ut facilior discussio insequi potuerit. Facile enim quemque in praxi versatum consentientem mihi promitto, si asseverem, fomenta saponacea discutientiæ parotidi refractariæ imparia & talem discussionem non tam leve negotium esse. Si autem reliqua adhibita remedia id effecisse crediderit Autor, illa nominare debuisset, ut quisque judicare potuisset, illa tantæ virtutis fuisse, & Cinnabarim nil plane effecisse. Ceterum & mihi in praxi obtigit, ut in debilioribus subjectis ventriculus magnas non ferre voluerit Cinnabaris doses, sed omnia incommoda indenata mox cessarunt, omissa Cinnabari per aliquot dies, vel dosi imminuta; ex quibus casibus didici, Cinnabarim revera stomacho nullam afferre perniciem realem, sed saltem illum gravare sensu mox remissuro, & facillime præcavendo, si illi admisceantur pulveres leviores v. gr. rad. poeon. Ir. flor. Lumbr. terrestr. qui impediunt, ne uni loco simul incumbere possit, sed illam pultis instar disjungant. Eadem enim in.



commoda sentiunt delicatiores ex strenuo pulverum antispasmodicorum & temperantium usu, quia & terra & salia & Cinnabaris simul premunt, facillime admixtione talium pulverum, præsertim. Rad. Ari, præpedianda. Ex eodem fundamento 6. grana Cinnabaris ter per diem infanti adhuc lactanti & achoribus laboranti in primo cochleari pultis consuetæ data, & per 14. dies continuata, ne ullo incommodo apparente certissime achores profligabunt; Sic quoque in convulsionibus illis saltatoriis, bis per diem Radicis Valerianæ & Cinnabaris ana scrupulum unum præscribere consuevi, de quibus sat magni dosibus ventriculus ne quidem gravatur, quanquam per sat longum tempus hi pulveres adhibeantur, quod expertus sum in diversis subjectis, simulque non satis extollere possum hujus pulveris effectus.

§. XXIV.

- Devolvor ad argumentum secundum, quo Cinnabaris effectum in corpus nullum esse ex eo probant, quod non ingredi valeat vasa absorbentia intestinorum. Summam divisibilitatem & comminutionis possibilitatem particularum Cinnabaris in infinite parvas atomos consideranti

ranti mihi tam impossibile non visum fuit, quod intrare nequeant cum chylo in vasa lactea, præsertim cum Cinnabaris alcoholifata lacti inspersa & agitata, non cito subsideat, sed post longiorem moram plurimæ subtilissimæ atomi lac adhuc satis aperte tingant. Dubii impatiens, lac cum multa Cinnabari alcoholifata mixtum cani famelico devorandum præbui, quem post duas horas, vix jugulatum & feré vivum adhuc, dissecui & oculis meis vidī vasa lactea pulchre alba, nec ullo modo detegere potui, quod vel minima particula rubicunda cum chylo transiisset in illa. Cum itaque ipse convictus sciam Cinnabarim, qua arte etiam comminuta sit, non in substantia transire in vasa lactea, quid impedit, quo minus concedam, id, quod rectissime statuunt. Sed consequentiam inde deducendam, quod Cinnabaris vasa resorbentia ingredi non valens, recta tantum per fistulam intestinalem propulsa, ano exeat immutata, & sine effectu, nego.

§. XXV.

Hac connexionione ducor ad tertium argumentum, quo scilicet adversarii sibi persuadent in Cinnabari sulphur & mercurium adeo arcto inter se vinculo neæti, ut vix alterutrum in humanum operari corpus possit,



dicunt, vix ! ergo dubitant. Ceterum respondeo SENNERTI verbis: *ridiculum est negare, quod experimento constat, eo, quod causa effectus ignoretur paralipom. pag. 210.* Si vinculo tam arcto nexa essent principia Cinnabaris, nunquam inde excitari posset ptyalismus; atqui sæpius Cinnabaris usum largiorem secuta est salivatio, ergo omnino solvi poterit Cinnabaris ab humoribus nostris. Cogitas, suspicor, illud evenire saltem ab usu nativæ, quæ forte mercurii partem non intime sulphure ligatam continere posset. Bene mones ! Scias vero te non solum sapere: etiam rectificata quæcunque Cinnabaris aliquando salivam movet. Id quod iterum expertus asserere possum inde, quod quandoque coactus fuerim desistere ab usu Cinnabaris, ob salivationis prodromos.

§. XXVI.

In solutionem Problematis, an Cinnabaris digestionem animali mutetur, subigatur, solvatur, ut in sanguinem vel fibras agere possit ? curiosus, de Experimento quodam sæpius meditatus sum, quo cognoscere possem veritatem vel affirmativæ vel negativæ sententiæ : suscepi plurima & inter illa in hunc finem instituta experimenta unum meretur adduci & narra-

narrari. Cani devorandum dedi jusculum, cui Cinna-
 baris ʒj admixta erat: nullam inde expertus est mole-
 stiam canis, quem semper in conclavi captivum retinui,
 ut excrementa examinare possem: priora excrementa
 nondum Cinnabari tineta projicienda curavi, ea autem,
 quæ rubra denique prodierunt, servavi, aqua bulliente
 affusa & sæpius renovata omnem & odorem & saporem
 elui, residuum vero insipidum & rubrum adhuc, novo
 admiscui jusculo & denuo cani edendum exhibui. Hoc
 quanquam omni diligentia elutum & in jusculo rursus
 exhibitum residuum purgavit canem instar cathar-
 tici fortioris & excrementa miniatum, non amplius
 cinnabarinum, habuerunt colorem, quæ collecta, de-
 nuo optime eluta & ab omni fœtore libera, tertia
 vice cum jusculo cani famelico exhibui devoranda.
 Exiverunt adhuc tineta ex rubro - flava per anum,
 repetii eluitionem, & ut semper cum novo jusculo
 mixta, cani quarta vice obtuli, quod & quinta vi-
 ce repetii, magno gaudio animadvertens, quod qua-
 vis repetitione color ruber in flavum magis se mu-
 taverit & denique post sextam repetitionem flava
 plane, nulla rubedine amplius infecta, ejecta obser-
 vaverim excrementa, semper liquida. Hoc experi-
 mentum omni exceptione majus, solide demonstrat,
 Cinna-



Cinnabarim omnino destrui digestionem animali canina;
cur non humana?

§. XXVII.

Quartum inde petunt argumentum, quod ex con-
nubio sulphuris & mercurii nec tertium aliquod vi-
rium resultatum emergere possit. Neque id requiri-
tur, respondeo. Si enim quandoque eveniat, ut
tantum de Cinnabari a succis corporis nostri solva-
tur, ut salivationem excitare possit, quis non videt,
Cinnabarim pro ratione qualitatis succorum nostro-
rum & digestionis diversimode solvi posse, & ut pluri-
mum quanquam lenissime solvi, ita, ut ligatus & ægerri-
me solubilis mercurius, non, ut mercurius dulcis, uno im-
petu & simul humoribus admisceatur, sed sensim erepta
atomo sulphurea liberæ evadant forte septem atomi mer-
curiales, quæ instar halitus subtilissimi cum chylo san-
guini admiscentur, cum interea mox & sensim aliæ eva-
dant liberæ, quæ succedunt & in sanguinem transeunt,
eoque ipso longe aliam virtutem exserunt, quam si
simul agere potuissent, non alio modo ac illo, quo
sal neutrum in certa dosi vim purgantem, sensim
vero & minutissimis partitis dosibus ingestum diu-
reticam exserit: quo Arsenicum vim veneni in deter-
mina-



minata dosi, in incredibiliter minutissima dosi vero, lixivio dilutum, medicamentosam edit virtutem: quo Cicutā in determinata copia veneni instar agit, in minutissima & repetita dosi, cancrum curat.

§. XXVIII.

Quintum denique argumentum in impossibilitate solutionis Cinnabaris, eamque variis argumentis evincere conantur. Primo quidem veteribus jam cognitum egressum pulverum cinnabarinorum pulchre & integre adhuc rubentium cum alvinis fecibus pro sufficiente & infallibili signo vendunt; Sed o! quam miserrima conclusio. Feces alvinæ exeunt adhuc cinnabarino rubore perfusæ, ergo nihil de Cinnabari solutum est. Ergo sane non omnis Cinnabaris soluta est. Sed si decima pars soluta fuerit, cur novem partes intactæ non poterunt tingere feces sufficiente rubore? vel si mavis pone dimidiam partem fuisse solutam, nonne altera dimidia pars adhuc sufficit tingendis fecibus. Mittere possum hanc objectionem ab alvinis fecibus desumptam eo citius, cum paragrapho vigesimo sexto experimento evidentissimo contrarium jam probaverim.

§. XXIX.

Immota jacet in aquam fortem injecta Cinnabaris, nec solvitur fortissimo illo menstruo, objiciunt; quo-



quomodo succi ventriculi & intestinorum aliquid poterunt de Cinnabari solvere? quærunt. Verum est, aqua fortis vel concentratissima non solvit Cinnabarim, sed adjicias velim paucissimum salis culinaris, statim solvet illam; ergo ratio non secutæ solutionis non est quærenda in insolubilitate subjecti, vi aquæ fortis concentratissimæ non vincenda, sed in menstrui etiam ceterum fortissimi natura, ratione individui inepta. Aqua Regia etiam sex partibus aquæ diluta, quæ mixtura vix ad aceti fortis acredinem accedit, Cinnabarim adhuc solvit, & præstat, quod aqua fortis, mercurii alias avidissima, & fumans nitri spiritus nequit. Medicoris etiam spiritus salis solvit aliquid de Cinnabari, qui alias mercurium vix corrodit, nec clare solvit.

§. XXX.

Sed quid inde, in ventriculo & intestinis neque aqua regia neque Spiritus salis occurrit, clamatis. Concedo! interim tamen cadit elegans vestra consequentia; aqua fortis non solvit Cinnabarim, ergo est insolubilis. Et quid dicetis, si narravero a sale culinari non intactam relinqui Cinnabarim? Solvite purissimum Sal culinare in aqua, guttulam hujus solutionis inspergite vitro, quam exsiccatam contemplamini microscopio, sistet se vobis sal culinare in crystallis quam perfectissimis, conicis, quadratis, vel cubicis,
con-



consuetis : Sed eidem solutioni Salis culinæ addite Cinnabaris quantitatem, coquite per horam, iterum guttam, ubi fundum petierit omnis Cinnabaris, liquidi supernatantis in vitrum inspergite, exsiccate & microscopio inspicite, invenietis quidem priores Salis communis Crystallos, sed angulis hinc inde quasi spinis cinctas, indubie probantes, quod aliquid accesserit & se in mixtionem salis intexuerit, antea absens.

§. XXXI.

Nec tacere possum; fallitur Celeberrimus TRALLES, si fortissimo lixivio Cinnabarim non solvi asserat. Sulphurea omnino ejus pars solvitur, destruitur itaque Cinnabaris, imo hac encheiresi possumus revificare mercurium in illa ligatum: uti id IVNCKERVS T. I. pag. 993. Chemiæ annotavit. Sic etiam saponi incocta Cinnabaris patitur aliqualem destructionem vinculi & elegantia, uti id inter experimenta tinctoria olim facta certissime expertus sum.

§. XXXII.

En itaque adeo arctum inter mercurium & sulphur nexum facile dissolubilem! Nonne Bilis saponaceam habet virtutem? nonne illa quandoque fit acerrima, imo nonne quandoque acida æruginosa est? Nonne primæ viæ plurimum acidis scatent humoribus? nonne quotidie sal culinare sumimus in cibis? quis



medicorum determinabit actiones, solutiones, præcipationes sub actu digestionis obvias? quis rescit? digestionem id præstare, quod vix ab acidis fortissimis potuisset sperari. Explica, si potes, cur nuclei ceraforum officulum integrum ejiciatur cum excrementis, cum nuclei prunorum officulum ab hominis sani ventriculo dissolvatur. O quantum est, quisquis fueris, quod & ego & tu nescimus! An tibi videtur adhuc impossibile, quod diversimode Cinnabaris agere possit in corpus humanum? vinum potamus, sal culinare in omnibus cibis deglutimus, plurimi cibi ad fermentationem vergunt acidam; estne tam impossibile, ut accedente motu & calore ventriculi mercuriales aliquæ extricentur particulæ? quæ ut infinite paucae non amplius ac mercuriales salivam movendo agere, interim tamen non plane nihil agere possunt, cum mercurii tanta sit vis, ut etiam halitus, ponderi nihil comprehensibile detrahens, agat adhuc satis aperte. Inquis: Si etiam solveret acidum sub digestionem aliquid, præcipitabitur id iterum ab accedente bile alcalina: neque id in universum negaverim, neque nos possumus certò id contendere, exemplo deterriti, quod pulvis fusce ruber ex mercurio sublimato per oleum tartari per deliquium præcipitatus, in spiritu salis iterum solutus, ab oleo tartari non amplius



plius præcipitetur, indeque edocti, non semper in acidis soluta præcipitari alcalinis, sed pro conditione prægressæ solutionis & antecedentium circumstantiarum, id limitationem vel exceptionem pati. Ponamus autem præcipitari iterum solutas particulas, nonne mercurius præcipitatus fortiter satis agit, sufficit quod particula soluta, etiam postea præcipitata, e nexu cinabarinæ miscelæ liberata & operari potens sit.

§. XXXIII.

Pone ex adverso alcalinam saponaceam bilem solvere sulphureas quasdam atomos, annon pro quavis atomo sulphurea e mixtione erepta, septem mercuriales sui fient juris. Sed, quid tum inquis? mercurius non agit nisi acidis acerrimis solutus. Falleris! taceo quod adhuc sub iudice lis sit: an solum pondere, divisibilitate, mobilitate & rotunditate particularum, qua vivus & currens, in incredibiliter minimas tantum atomos resolutus, in substantia vasa Chylifera intrans, & per minima vascula propulsus; an vero in sal penetrantissimum, acidorum ope solutus, humoribus miscibilis, lympham fundens & glandulosum systema præfertim sic afficiens, agat mercurius? Taceo, inquam, hanc controversiam ex omni latere suos defensores habentem. Sufficit experientia, quod mercurius oleo vel terebentina subactus interne sumtus, quod expertus



scio, vel illitus externe, quod omnes sciunt balneato-
res, validissime moveat salivationem omni acidorum
accessu prohibito. Nec injectio mercurii crudi in venam
canis vivi GARMANNI, nec casus ex PETERSON
HAIN. & BLANCARDIO citati, ubi mercurius ad
pondera & uncias intra corpus humanum sumtus fuit,
nulla operatione infecuta, aliquid probant, nec alter
etiam casus, mercurii per 14 dies in ventre, non mota
salivatione, sine noxa retenti, sufficit ad probandam the-
sin, quod mercurius vivus, currens, salibus acidis non
junctus vel solutus nequeat provocare salivationem, cum
innumeri casus, salivationis per unguentum solummodo
externe adplicatum facillime impetrandæ, contrarium suf-
ficienter demonstrant. Secundo autem rarior aut uni-
ca talis observatio etiam inde nil probat, cum dentur
subjecta, quæ nulla arte & opera potuerunt ad ptya-
lismum disponi, cujus rei exemplum protulit ELIAS
CAMERARIUS, in Dissertatione de salivatione sine sali-
vatione, ubi nec unguenti largissimis inunctionibus, nec
cinnabarinis suffimigiis, nec dulcis mercurii interno usu,
ne prodromum quidem salivationis excitare potuit, ægro
tamen, quod mirum, a lue integerrime liberato. Uti
itaque hoc fieri potuit, de quo ipse integerrimus & ve-
rissimus CAMERARIUS testis est avtoptes, sic etiam
mercurius potuit p. 14. dies in corpore non insequente
saliva-



salivatione jacere; & quid impedit, quominus concedam, millies fumi ab Anglis mercurium vivum ad uncias nulla salivatione insequente; cujus methodi novæ historiam, cautelas, modum operandi & innoxie administrationis causas, solide satis orbi literario communicavit HEBENSTREITIVS in dissertatione Lipsiæ defensa, *de hydrargyri usu interno.* §. XXXIV.

Ex omnibus his non sequitur, quod mercurius qua vivus non possit salivationem excitare, sed quod sæpissime sumatur nulla insequente salivatione, si autem etiam concedam nunquam salivationem insequi mercurii vivi usum internum, non sequitur mercurium interne sumtum salivationem non excitantem nihil agere; ipsa enim illa methodus ab HEBENSTREITIO communicata luculenter demonstrat, mercurio vivo interne exhibito plurimos curari morbos, sine ulla salivatione. Et ne obliviscar quod potissimum est, si septem atomi etiam ope digestionis fiant liberæ a vinculo sulphuris, eo ipso tamen non sunt adhuc mercurius vivus, ideoque neque consequentia a mercurio vivo desumpta, valet ad id probandum, quod mercuriales illæ atomi vinculo sulphuris liberatæ non possint agere, si etiam mercurius vivus forte nil ageret. Septem illæ atomi a vinculo unius sulphureæ liberatæ, jam extreme parvæ, resolutæ & instar fumi subtiles sunt & penetrare possunt ubique, hinc absurdum esset, illis denegare velle omnem possibilitatem operationis. §. XXXV.



§. XXXV.

Sed mitto hæc, meum enim huc usque non est determinare, quid agat, & quomodo agat Cinnabaris. Sed omnia ea, quæ proposui, eò tendunt, ut illis dubiis obviam eam, quibus impossibilitatem actionis Cinnabaris demonstrare tentaverunt inimici ejus: & id quoque nunc fecisse arbitror. Quid enim restat dubii? provocasti ad subscriptionem magnorum virorum: plures & genuini practici, æque magni autores, contrarium elocuti sunt; imo perpendas quæso! ipse BOERHAVIUS tibi & mihi magnum oraculum, Cinnabarim specificis antivariolosis possibilibus adnumerat. Aphorismorum de cogn. & curandis morbis 1390 - 1392. Dubitas ob vinculum arctissimum inter sulphur & mercurium, sed responde, quomodo salivationem moveat nonnunquam Cinnabaris? cur sexies a cane devorata Cinnabaris sensim amittat colorem & feces non amplius tingat?

Credidisti Cinnabarim nullo menstruo solubilem esse, nec vincibilem; & En! destruitur lixivio & saponaceis, solvitur aqua regia & spiritu salis, imo salculinare aliquid ex ejus miscela discerpit, microscopio teste.

Manebit itaque in Pharmacopolio, ab inertia vindicata Cinnabaris, usque dum aliis argumentis solidioribus illam ejecerint contemtores.

